

DIE XVIII. AUGUSTI.

S. ROCHI CONFESSORIS.

DUPLEX.

Oratio.

**P**OPULUM tuum, quæsumus Dómine, continúa pietáte custódi : et beáti Rochi suffragántibus méritis ꝫ ab omni fac ánimæ et córporis contagióne secúrum : Per.

DIE XIX. AUGUSTI.

S. ALPHONSI MARIÆ DE LIGORIO E. C. ET ECCL. D.

DUPLEX.

Oratio.

**D**EUS, qui, per beátum Alphónsum Mariám Confessórem tuum atque Pontíficem, animárum zelo succénsum, Ecclésiám tuam nova prole fecundásti : quæsumus ut ejus salutáribus mónitis edócti, et exémpis roboráti ꝫ ad te pervenire feliciter valeámus : Per.

DIE XX. AUGUSTI.

S. BERNARDI ABBATIS ET ECCL. DOCTORIS.

DUPLEX.

Oratio.

**D**EUS, qui pópulo tuo ætérnæ salutis beátum Bernárdum místrum tribuísti : præsta, quæsumus, ut quem doctórem vitæ habúimus in terris ꝫ intercessórem habére mereámur in cælis : Per.

DIE XXI. AUGUSTI.

S. JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL  
VIDUÆ.

DUPLEX

Oratio.

**O**MNIPOTENS et miséricors Deus, qui beátam Joánnam Francíscam, tuo amóre succénsam, admirábili spíritus fortitúidine, per omnes vitæ sémitas, in via perfectiónis donásti ꝫ quique per illam illustráre Ecclésiám tuam nova prole voluísti : ejus méritis et précibus concéde ut, qui infirmitátis nostræ cónscii de tua virtúte confídimus ꝫ cælestis grátia auxilio, cuncta nobis adversántia vincámus : Per.